

quam ejus nomine habet archidiaconus, vel alio modo declaravit se intentionem non habere ordinandi Clericos, aliquo impedimento ligatos, vel furtive sese immiscentes inter alias?

Animadvertisimus Episcopis interdictam esse intentionem hanc conditionalem in sacra ordinatione conferenda. Seque enim debet Episcopus formam simplicem Pontificalis Romani. *Sac. Congreg. Concilii 13. Febr. 1682.* Sed si constat de hac intentione non ordinandi impedimento ligatos, vel furtive se immiscentes, ordinatio vacua est effectu. *Ita S. Congreg. Concilii in ead. cit. Resolut. Cf. Benedictus XIV. 'De sacrificio Missæ lib. 3. cap. 10. n. 6.* Si vero dubia est intentio, interrogandus est Episcopus, et quoties dubium perseveret, iteranda est ordinatio sub conditione. *S. Congreg. Conc. in 'Aprutina Ordinum' 11. Febr. 1710; in 'Ugentina Ordinum' 3. Augusti 1743.*

TITULUS XXXI.

De excessibus Prælatorum et Subditorum.

1. Pluribus modis Prælati possunt excedere limites potestatis suæ in præjudicium aliorum et agere contra leges. Præcipios juxta scopum tituli assignabimus. 1º. Juxta caput 1. h. t. Episcopi excessum committunt si novas indebitas exactiones imponant, vel censuras injustas contra subditos infligant, vel clericos ita depriment ut laicis aspernabiles reddantur ceu viles et indignæ personæ. Contra istos Prælatos, Pontifex comminatur justam sed sane gravem poenam. Ait enim 'vos taliter puniemus, quod timore poenæ vestræ ceteri a similibus abstineant'. Huc facit can. 7. dist. 95. qui ita se habet 'Esto subjectus Pontifici tuo, quasi animæ parentem suscipe, sed Episcopi sacerdotes se esse neverint non dominos, honorent clericos, quasi clericos, ut et ipsis a clericis quasi Episcopis honor deferatur'.

2. 2º. Secundus excessus Episcopi est si Ecclesiam prælato inferiori subjectam ab ejus subjectione tamen eximat, vel prælati inferioris lèdat immunitatem, et privilegia acquisita sive concessione Pontificis, sive ex consuetudine, sive alio titulo legitimo. *Cap. 2. h. t.* Vel etiam si in genere privilegia impedit etiam in suis subditis. Quo in casu subditi etiam sub comminatione censuræ obediens non tenentur. *Capp. 5. et 7. h. t.*

3. 3º. Tertius excessus Episcopi est si beneficia suæ liberæ collationis sibi ipsi Episcopus conferat, vel sibi retineat. *C. 3. h. t.*

4. 4º. Quartus excessus si beneficia conferat indignis. *Cap. 11. h. t.*

5. 5º. Si Prælatus præsumat Regularibus et aliis exemptis aliquid præcipere, interdicere aut prohibere contra tenorem priviliorum, excedit limites potestatis suæ. Modi quibus Episcopi et alii Prælati possint in religiosos excedere numerantur in *capp. 16. et 17. h. t.* In Clem. un. h. t. gravioribus verbis injungitur Prælatis ne invadant provinciam Religiosorum exemptorum.

6. Etiam Prælati inferiores excedere possunt limites suæ potestatis. Excedunt vero 1º. Si absque consensu Episcopi vel uniunt Ecclesias sibi subjectas, *cap. 8. h. t.* vel nova ædificant monasteria. *Conc. Trid. sess. 25. De Regul. c. 3.* ubi traditur non posse erigi nova monasteria in Dicæesi absque licentia Episcopi; vel etiam si ædificant nova monasteria contra formam in suis Constitutionibus descriptam. 2º. Si concedant indulgentias, vel publicas imponant poenitentias, absque peculiari privilegio, hæc enim ad Episcopum pertinent. 3º. Si videant causas matrimoniales, quæ videri possunt a solo Episcopo vel Prælato Nullius, qui jurisdictione plena et quasi Episcopali gaudeat.

7. Subditi autem et privati homines non possunt sese in collegium et publicam societatem constituere, et sigillum, seu publica insignia assumere collegii absque licentia superioris. *Cap. 14. h. t.* 2º. Vicarius qui vindicat sibi personam et titulum rectoris principalis ceu infamis a suo officio removendus est. *Cap. 6. h. t.* 3º. Si privati negent Prælatum vel Episcopum esse dominum suum aut trahunt ad judicem sacerularem, excessum committunt, et si clerici fuerint sunt deponendi. *Cap. 15. h. t.* 4º. Rei sunt excessus homines privati, quoties rident censuras ab Episcopo proprio latas, vel non observent dies festos ab eodem indictos. *Cap. fin. h. t.*

TITULUS XXXII.

De novi operis nunciatione.

1. In cap. 1. h. t. Pontifex scribit 'sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita sacrorum canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur'. Unde canonistæ inferunt prin-

cipium 'jus canonicum et civile sibi ipsis opitulanter invicem, ita ut quod in uno jure desideratur, debeat per aliud suppleri'.

2. Quare nil mirum si legislatio canonica in re ecclesiastica titulum retulerit de *nunciatione novi operis*, qui est proprie civilis. In re nostra nunciatio novi operis nil aliud est quam inhibitio ædificandi aliquam Ecclesiam in præjudicium alterius præexistentis. Præjudicium hoc multiplex esse potest. Siquidem Ecclesia existens potest ab alia quæ vult ædificari præjudicium timere sive ob propinquitatem ædificii, sive quia nova Ecclesia occupat fundum alterius, sive quia jurisdiction prioris intervertitur, sive quia pati potest prior Ecclesia imminutionem in oblationibus fidelium. *Cap. 1. et 2. h. t.* Effectus nunciationis est ut qui novum opus aggreditur, debeat desistere, secus probata justitia nunciationis, suis expensis, tenetur demolire quod inde constructum est.

TITULUS XXXIII.

De privilegiis et excessibus privilegiatorum.

1. Privilegium est 'jus vel indultum singulare et stabile in alicujus personæ vel causæ gratiam a Superiore constitutum'. Additur in definitione adjectivum *stabile*. Privilegium enim natura sua permanens est, et distinguitur a *facultate* quæ datur ad unum alterumve actum exercendum.

2. *Divisio privilegiorum.* Præcipua divisio privilegiorum est duplex. 1º. Privilegia alia sunt *clausa in corpore juris*, alia procedunt ex *speciali rescripto Principis*. Prioris generis privilegia ad modum legis concipiuntur. Hinc judex ea non debet ignorare, et si aliquid contra privilegia injungat vel decernat nullum est et privilegiatus non tenetur parere. *Capp. 5. et 7. 'De excess. Prælat.'* Hinc etiam sortiuntur ordinarie benignam interpretationem ad casus similes. Privilegia vero ex speciali rescripto principis concessa, a judice præsumuntur ignorari, quia considerantur tamquam facta particularia; hinc primo nisi monstrarentur ea non tenetur judex revereri. *Cap. 7. h. t. in VI.* Secundo strictam ordinarie subeunt interpretationem, nec extenduntur ad casus vel personas non expressas.

3. 2ª. *Divisio.* Privilegia dividuntur in *realia*, *personalia* et *mixta*. Reale privilegium est illud quod concessum est contem-

TIT. XXXIII. DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM. 109

platione *rei, officii, dignitatis*, ita ut successores in officio, re, dignitate eo ipso privilegium obtineant. Personale privilegium est illud quod personæ conceditur intuitu personæ, ita ut deficiente persona, et ipsum deficiat privilegium. *Reg. 7. Jur. in VI.* Mixtum privilegium de utroque participans, illud est, quod morali corpori aut collegio personarum seu communitati conceditur, quod proinde non cessat defientibus membris, sed successoribus etiam competit.

4. Quæritur quibus modis privilegia acquirantur.

Acquiruntur privilegia *concessione, communicatione et consuetudine seu præscriptione*.

5. 1º. *Concessione* acquiruntur privilegia cum primum ab ipso Superiore concedantur. Concessio etiam oretenus facta privilegii per se subsistit. Nam nullibi coartatur potestas Pontificis ut per scripturam debeat absolute suas concessiones facere. Immo in jure expresse fit mentio vivæ vocis. Sane in Extrav. 'Etsi' *De Pœnit. et Remiss.* legitur 'considerans quod plerumque contingit, Suam Sanctitatem hujusmodi facultatem etiam oraculo vivæ vocis concedere' etc. Hinc certum est privilegia ex vivæ vocis oraculo concessa pro *foro interno* valere.

6. Verum quoad *forum externum* requiritur documentum scriptum, authenticum ad privilegium probandum. Ad probandum vero privilegium vivæ vocis oraculo concessum, admittitur testimonium authenticum officialium Curiæ, qui vi officii sui ista negotia tractant. Ita in Constitutione 'Alias felicis' Urbani VIII. quæ est 141 in Bullario Cherubini.

7. At ex stylo Curiæ Romanæ, gratiæ Pontificiæ licet fuerint concessæ et signatae a Pontifice per 'Fiat' tamen ante expeditionem per analogas Litteras Apostolicas dicuntur *informes*. Hinc Reg. 27. *Cancell.* inscribitur 'De non judicando juxta formam suppli-cationis, sed Litterarum expeditarum'. Immo in Reg. 52. dicitur 'ut nulli suffragetur dispensatio, nisi Litteris confectis'.

8. 2º. *Communicatione* acquiruntur privilegia dupliciter: a) Quando Superior extendit ad alias personas vel causas, privilegia alicui personæ vel causæ concessa. b) Cum privilegia uni corpori moralis concessa, eo ipso censeantur etiam aliis quibusdam corporibus moralibus concessa, eo quod inter hæc corpora moralia existit juridica communicatio privilegiorum. Citant Doctores Bullam

Leonis X. qua instituitur universalis privilegiorum communicatio inter mendicantes religiosos, quæ deinde ex aliis Bullis pontificiis instituta est etiam cum religiosis non mendicantibus. Hæc vero communio valet, dummodo privilegium uni ordini concessum cum aliorum ordinum regulari disciplina componi possit, et dummodo concessum non sit uni, cum expressa exclusione quoad alias ordines.

9. 3^o. *Consuetudine* acquiruntur privilegia, seu melius præscriptione immemorabili. Cap. 13. 'De Judiciis' Sed et temporali præscriptione. Scilicet contra privatos 30 annorum et contra Ecclesiam 40 annorum spatio. Capp. 4. et 18. 'De Præscriptiōnibus'.

10. Quæritur quomodo cesserent privilegia.

1^o. Interitu personæ si privilegium sit personale, vel interitu rei, si sit reale. Non autem quilibet interitus rei privilegium extinguit, sed solum *finalis*; si nempe vel superior rem destruat, vel alioquin res destruatur ita ut spes restitutionis non adsit. Ceterum *morte concedentis* non extinguitur privilegium nisi illud dederit ad suum *beneplacitum*.

11. 2^o. Amittitur privilegium *renunciatione expressa* dummodo sit in favorem particularem personæ, non autem si sit in favorem publicum, vel determinati cœtus personarum. Cap. 12. 'De foro compet.' et 36. 'De Sent. Excomm.'

12. 3^o. Amittitur privilegium *renunciatione tacita* id est non usu, aut usu contrario. Qua in re duo sunt in jure capita. In cap. 6. h. t. Alexander III. tradit Monachos Cistercienses amisisse privilegium non solvendi decimas per contrarium usum 30 annorum. In cap. autem 14. eod. tit. Innocentius III. tradit Templarios idem privilegium amisisse per continuam solutionem decimalium spatio 40 annorum. In utroque autem capite Alexander et Innocentius præsumunt renunciationem tacitam. Unde videretur incohærentia juris existere quoad tempus præsumendæ renunciationis privilegii. Plures in hac re sunt sententiæ. Verius cum *Glossa in cap. 14. v. per 40 ann.* videtur esse, si dicatur spatium temporis 30 vel 40 ann. non constituere dispositionem juris circa tempus necessarium, sed referri ad partem narrativam. Scilicet in cap. 6. expositum erat Alexandro Monachos per 30 annos solvisse decimas; in cap. 14. autem expositum erat Innocentio Templarios per 40 annos solvisse decimas. Pontifices reposuerunt

'si ita res se habeant, merito præsumitur renunciatio'. Quare uterque Pontifex non ingreditur quæstionem de tempore definito ad præsumendam renunciationem privilegii.

Igitur quod tempus requiritur ad amittendum privilegium per non-usum vel usum contrarium?

13. Sciendum est quadam privilegia esse mere facultativa, quæ absque ullo onere et præjudicio tertii exercentur: ex. gr. facultas celebrandi Missam ante auroram; dispensandi in aliquo impedimento etc. In istis privilegiis solus non-usus, aut etiam contrarius usus non inducit præsumptionem tacitæ renunciationis; quare nisi adsint alia adminicula, quæ significant renunciandi voluntatem, hæc privilegia aut non-usu, aut usu contrario non amittuntur.

14. Alia autem privilegia tertii gravamen important ex. gr. privilegium exemptionis ab onere solvendi decimas. Hæc sine dubio legitima 30 vel 40 annorum præscriptione contraria amittuntur de qua supra. Sed probabili ratione ducti cum *Glossa in cap. 15. h. t. v. per 40 ann.* dicimus privilegia hæc amitti posse per non-usum, aut usum contrarium, eo spatio temporis, quod requiritur ad præscribendum contra jus commune, idest spatio 10 annorum. Ratio est quia privilegium est quodammodo privata lex, immo magis odiosa quam ipsa lex communis. Igitur cessabit privilegium, hac lege privata cessante.

15. Animadvertis autem debet 1^o. principium expositum non verificari quoties occasio non extiterit utendi privilegio; 2^o. nec verificari quoties privilegiatus fuerit impeditus quominus privilegio uteretur.

16. Cessat privilegium si eo abutatur privilegiatus. Cap. ult. 'De Immun. Eccl.' vel si incipiat secumferre grave detrimentum communitati. Cap. 9. 'De Decimis' et cap. ult. 'De Clericis non Resident.'

17. Privilegium cessat cessante causa finali, seu melius immutata causa finali in contrariam, ita ut usus privilegii illicitus evadat. Cap. 60. 'De Appellat.' Si autem causa finalis simpliciter deficiat, non inde cessat privilegium. Nam privilegium utique pendet a causa finali in concessione, non vero pendet in conservatione. Factum enim legitimum retractari non debet, licet casus postea evenerit, a quo non potest inchoari. Ita in Reg. 73. Jur. in VI.

18. Cessant tandem privilegia revocatione facta a concedente, vel ab ejus successore. Privilegia enim censentur concessa sub tacita conditione ‘donec, vel dummodo non revocentur’ *Glossa recepta in cap. 13. ‘De Judiciis et ad Reg. 16. Jur. in VI.’*

TITULI XXXIV. ET XXXV.

De purgatione canonica et vulgari.

1. Purgatio est ‘modus a jure inventus quo homo infamatus et notabiliter suspectus de crimine, quod nequit probari, cogitur demonstrare suam innocentiam’.

2. Hæc purgatio alia est *canonica*, quia nempe recepta est ab Ecclesia, alia autem dicitur *vulgaris* quia nempe ex vulgi falsis opinionibus, immo ex superstitione populari, non autem legitimo titulo inducta fuit.

3. Purgatio canonica considerata est ceu medium juridicum quo scandalum ex imputatione alicujus honestæ personæ natum tolleretur, et honor debitus restitueretur. *Capp. 12. et 15. h. t. et 21. ‘De accusat.’* Unde a judice competente poterat unice indici. Quod si reus defecisset in purgatione, judex poterat considerare reum, ceu auctorem criminis impacti, eumque poenis ordinarii plectere. *Cap. 7. h. t. et Cap. 11. ‘De simonia’.*

Forma purgationis canonicae antiquæ multiplex erat. Ex. gr. juxta *cann. 23. et ult. caus. 2. q. 4.* Sacerdos infamatus Missam legens, et laicus infamatus participans de Sanctissimo Eucharistia Sacramento si hæc verba protulissent ‘Corpus Domini sit mihi probatione hodie’ probata censebatur et manifesta eorum innocentia.

4. Deinde autem inducta est et communiter recepta forma seu solemnitas, qua infamatus præstet juramentum de propria innocentia, et insuper adducat honestas personas, plures vel minores numero juxta arbitrium judicis, quæ juramento deponant de credulitate, et testentur tuto fidem haberri posse depositioni infamati hominis. *Capp. 5. et 7. h. t.*

5. Purgatio vulgaris pluribus modis fiebat. Præsertim vero infamatus de crimine cogebatur tangere ferrum candens vel accensos carbones, vel inire duellum cum accusatore, ita ut exitus duelli haberetur ceu probatio vel culpæ vel innocentiae. Hanc

purgationem reprobarunt canones, vel ut tentationem Dei, vel ut superstitione et cultu dæmonis infectam eam judicantes. *Can. 7. cap. 2. q. 4. et toto titulo præsente.*

TITULUS XXXVI.

De injuriis et damno dato.

1. I^o. *De injuriis.* Injuria in genere significat id quod non iure fit, idest contra justitiam. In sensu autem tituli injuria idem est ac contumelia qua dolo malo vilipenditur honor et fama alterius.

2. Præcipua divisio injuriæ est ut alia sit *verbalis*, alia *realis*. Verbalis injuria verificatur, quando per verba contumeliosa alienus honor læditur. Ad verbalem injuriam reducitur etiam *libellus* seu *carmen famosum*. Injuria realis dicitur ea, quæ aliquo facto infertur, quemadmodum si quis personam aggredieretur vel percuteret alapis aut verberibus, vel violenter alienam domum introiret, vel aliud ageret in contumeliam, et in contemptum alienum.

3. Ad sacerdendam injuriam datur *actio injuriarum* quæ civiter instituitur, si injuriam passus exposcat summam pecuniæ ad suum privatum commodum, præcise ex titulo toleratae injuriæ; criminaliter autem instituitur si invocetur judicis auctoritas ad reum debita pena multandum.

4. Cessat actio injuriarum 1^o. *condonatione* vel *expressa* vel saltem *tacita*. Ex. gr. si injuriam passus redeat in pristinam familiaritatem cum adversario suo. 2^o. Morte alterutrius vel *inferentis* injuriam ante litem contestatam, vel *patientis*. Quia actio injuriarum considerata est ceu actio ex delicto, idest penalís, quæ ordinarie ad hæredes non transit. 3^o. Actio injuriarum criminalis perimitur ex *præscriptione unius anni*. L. 5. Cod. ‘*De injuriis*’ recepta a Doctoribus. Interest enim Reipublicæ ne odia civium diu perseverent. 4^o. Cessat actio injuriarum *retorsione*, idest si eadem injuriæ retorqueantur. — Quoad cessationem actionis injuriarum ex condonatione, animadvertisimus eam non verificari si injuriatus alterius potestati subjectus ipse solus injuriam condonet, sed requiri etiam condonationem superioris.

5. II^o. *De damno dato.* In titulo nomine damni intelligitur illud damnum, quod quis alteri infert absque proprio commodo et utilitate. Ex. gr. si quis domum alienam incendat, vestes laceret etc. Hoc damnum jure romano sarciebatur actione legis Aquilæ.

6. Relinquentes civiles dispositiones hac in re, ea quæ sunt juris nostri breviter exponemus. Juxta *cap. ult. h. t.* non solum ille qui dolo alteri damnum intulit, sed etiam qui ex sola culpa tenetur satisfactionem congruam præstare damnificato. Concordant *capp. 6. et 7. h. t.* Quod si aliquis omnem diligentiam adhibuerit ne damnum inferretur, vel saltem absque sua injuria, et negligencia damnum sequutum est, non potest obligari ad sarcendum damnum. Damnum enim in hypothesi ex infortunio potius repetendum est. Nemo autem de infortunio tenetur, quod vel prævideri non potuit, vel prævisum non potuit removeri.

TITULUS XXXVII.

De pœnis.

1. In titulo præsenti agitur de pœnis, in sequenti titulo de pœnitentiis et in titulo 39. de censuris ecclesiasticis. Profecto hæc tria differunt inter se. Nam 1º relate ad illos quibus fit applicatio, differentia adest. Siquidem pœna applicatur ordinarie etiam invitis. Pœnitentia applicatur volentibus. Censuræ autem statutæ sunt contra contumaces et temerarios ad frangendam contumaciam. 2º Effectus proprius pœnæ est reintegratio ordinis læsi. Effectus autem proprius pœnitentiae est correctio fidelis, qui ut reconciliationem obtineat libens sese subjicit operibus satisfactoriis. Censuræ autem diriguntur ad frangendam contumaciam illius, qui deliquit, nec reparare vult scandalum, aut etiam in crimen insordescit.

2. Hisce positis poena definitur 'Vindicta criminis ad disciplinæ publicæ emendationem inducta'. Nam propria indoles pœnæ est reparatio ordinis læsi ob crimen. Hinc natura sua poena dirigitur contra delinquentem, qui disciplinam publicam offendit. At indirecte etiam tertias personas poena afficere potest, quemadmodum est pœna, quæ bona delinquentis percutit, quo in casu etiam alii, nempe hæredes delinquentis effectum pœnæ sustinent. Ita etiam interdictum locale, quod est utique censura, sed induere potest indolem pœnæ. Siquidem ob aliquod delictum commissum in loco interdicitur locus, et personæ ibi commorantes effectum interdicti sustinere debent, licet non omnes deliquerint.

3. Pœnæ canonicae proprie dictæ in specie sunt:

1º. Inabilitas ad beneficia, dignitates et officia ecclesiastica.
2º. Privatio beneficiorum. 3º. Depositio. 4º. Degradatio. 5º. Infamia.
6º. Irregularitas. De singulis breviter.

1º. *Inabilitas* est poena qua quis fit ineptus ad assequenda beneficia vel officia ecclesiastica. Unde ipsa collatio beneficii si fiat inhabili, nulla est ipso jure ante omnem sententiam judicis. Subjectum enim ipsum collationis censemur abesse, eo quia incapax.

4. 2º. Secunda poena est *privatio beneficiorum* vel *subtractio fructuum*. Hæc potest infligi ab ipso jure; aliquando autem inferenda præcipitur per judicis sententiam. Procul dubio si pœna hæc inferenda dicitur per sententiam judicis, non obligat neque in conscientia ante sententiam. Hinc quis potest et beneficium retinere, et fructus percipere, quin teneatur resignare beneficium, vel tradere teneatur superiori, aut in piis causas erogare fructus, donec sententia sequatur. Sed etiam in priori casu obligatio in conscientia ordinarie non urget saltem ante sententiam judicis declaratoriam facti, qua scilicet judex declarat Clericum reum esse determinati criminis cui adnexa est pœna privationis beneficii vel subtractionis fructuum. *Cap. 2. 'De Hæreticis' in VI.* Pœna enim, quæ requirit externam executionem non obligat ordinarie ante sententiam saltem declaratoriam, quia prudenti judici possent fortasse præsto esse circumstantiae, quæ æquam et favorabilem interpretationem suaderent. Dixi 'ordinarie'. Nam si Canon in aliqua causa in specie dixerit pœnam esse incurrandam ipso facto etiam ante quamlibet sententiam judicis declaratoriam, procul dubio obligatio in conscientia illico exurgeret. Exempla in re nostra habemus in *Extravag. 'Ambitiosæ' 'De rebus Eccl. non alien.'* et in *Trid. sess. 23. cap. 1. De Ref. v.* 'Si quis autem' ubi agitur de pœna privationis fructuum contra Episcopos et Parochos non observantes legem Residentiæ, et Concilium decernit, delinquentes amittere beneficij fructus in conscientia ipso facto, et ante omnem sententiam judicis.

5. 3º. Tertia pœna est *depositio*, quæ est pœna qua Clericus in perpetuum privatur ordine, idest exercitio ordinis et munere clericali. Depositio semper secum fert privationem beneficij. At non ejicit personam e statu clericali. Quare depositus remanet clericus, licet depositio natura sua sit perpetua, tamen Episcopus potest dispensare si crimen fuerit adulterium, vel aliud crimen minus, ob quod fuit depositio inficta. *Cap. 4. 'At si Clerici'*,

'De Judiciis'. Animadvertisimus vero depositionem non esse intelligendam, nisi crimen commissum fuerit enorme, et causa gravis scandali. Ex. gr. homicidium voluntarium, adulterium, stuprum violentum, furtum sacrilegum, vel fornicatio continuata. Arg. cap. 6. *De cohab. Cler. et Mulier. et sess. 22. Trident. in Decreto de observand. in Sacr. Miss.*

6. 4º. Quarta poena et *degradatio*, quæ est poena ecclesiastica, qua Clericus ob criminis atrocitatem, vel incorrigibilitatem, per sententiam judicis authentice et solemnitate adhibita privatur ordine, idest exercitio (non autem charactere), beneficio, officio et statu ipso clericali seu omnibus privilegiis, ita ut Clericus reddatur ad statum laicalem, et ad instar laici puniatur a laica potestate secundum suas leges. Degradatio est vel *verbalis*, vel *realis*, *verbalis*, qua sententia degradationis edicitur, *realis*, qua perficitur ipsa degradatione per ritum statutum. Cap. *Degradatio h. t. in VI. Juxta autem cap. 'Novimus' 27. 'De verb. signif.'* Ecclesia adprecari debet auctoritatem civilem praesentem in reali degradatione Clerici, ut eum mitiori ratione pertractet. Hæc degradatione realis nonnisi ab Episcopo fieri debet. Conc. *Trid. sess. 25. c. 4.* Fit autem ob crimina in jure expressa. Præcipue sunt crimina hæresos, falsificationis Litterarum Apostolicarum, insidiarum contra proprii Episcopi vitam.

7. 5º. Quinta poena est *infamia*. Infamia alia est *facti*, alia est *juris*. Facti est, quæ oritur in populo ex delicto scienter admisso, vel alio defectu manifesto, ita ut nullatenus quis possit sese excusare, quin apud honestas personas contrahat notam et patiatur boni nominis imminutionem. Infamia juris est quæ auctoritate legis ob certa crimina infertur. Hæc autem dupli modo infertur et decernitur a lege a) ut ipso jure et ipso facto incurritur, hæc porro infamia incurritur solummodo quando crimen est notorium, b) ut poena infamiae incurritur solum per sententiam judicis.

8. Inter infamiam juris et infamiam facti duplex est præcipua differentia. 1ª. ut infamia juris proprie sit poena criminis, non autem infamia facti. 2ª. ut infamia facti redimi possit per bonam opinionem, quæ oritur ex publica et notabili emendatione. Infamia autem juris per se redimi non potest, scilicet perpetua est. Can. 7. cap. 3. q. 3. Tolli vero potest auctoritate principis, aut ex contraria sententia judicis, quæ vel innocentiam personæ pronunciat, vel

saltem in relatione ad infamiam irrogatam, primam sententiam modificat et corrigit.

9. 6º. Sexta poena est *irregularitas*, quæ contrahitur ex delicto, et est 'impedimentum juris ecclesiastici ad susceptionem ordinum, et ad executionem actuum ordinis jam suscepti.' Contrahitur vero ex reiteratione absoluta baptismi, ex violatione censuræ ecclesiastice, ex indebita susceptione ordinum, ex crimine hæresis, et aliis criminibus, ex quibus oritur infamia juris, ex homicidio, vel mutilatione voluntaria. Animadvertisimus autem debet irregularitatem ex criminis poenam esse solummodo improprie, et indirecte.

TITULUS XXXVIII.

De pœnitentiis et remissionibus.

1. Pœnitentia definiri potest 'Alicujus laboriosi operis frequen-tatio ab Ecclesia imposita illis, qui post delictum vel culpam admissam, volunt iterum assequi jura quæ amiserant'.

2. Pœnitentia alia est *sacramentalis* et *privata*, quæ in *foro interno* imponitur, alia est *publica*, quæ in *foro externo* imponitur præsertim ad reparandum scandalum ortum ex criminis.

3. Licet antiqua pœnitentia canonica jamdudum cessaverit, tamen dici nequit omnem prorsus pœnitentiam publicam cessavisse. Trid. enim in *sess. 24. cap. 8. De Refor.* mandat ut peccatoribus publicis et cum scandalo, publica etiam et pro qualitate culpæ pœnitentia infligatur. Episcopus autem videre debet utrum expediat poenas publicas in specie irrogare.

4. Relate ad pœnitentiam sacramentalem duo animadvertisimus.
1º. In *cap. 12. h. t. præcipi annualem confessionem et communio-nem Sanctissimæ Eucharistiae saltem tempore paschali.* Qui autem temere et sine rationabili causa, ac proprii Parochi consilio seu licentia alterutrum omittunt, vivi ab ingressu Ecclesiæ arcen-tur, defuncti privatur ecclesiastica sepultura.

5. 2º. Commemoratione digna est *Constit. cap. 13. h. t.* In hac Constitutione animadvertisimus Innocentius corporales infirmitates non raro ex peccato provenire, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiæ jubet medicos admonere debere infirmos ut Sacramentum Pœnitentiae suscipiant.